

EN MADRID: EN LA IMPRENTA QUE ESTA EN LA PLAZUELA

de Santa Catalina de los Donados, se hallarán los

Libros siguientes:

Suma Theologica de Santo Thomas en siete tomos folio, con las Premoniciones, y Vindicaciones del Padre Rubeis, con las Notas de los Padres Nicolai, y Magdalena, y seis Indices generales.

Cathena aurea de dicho Santo, con las mismas Premoniciones, Vindicaciones, y Notas, en dos tomos folio.

Commentarios del referido Santo Doctor sobre los quatro libros del Maestro de las Sentencias, con las mismas Premoniciones, Vindicaciones, y Notas, cinco tomos folio en tres volumenes.

La Suma de los Concilios de D. Fr. Bartholomé de Carranza, Arzobispo de Toledo, con las Adiciones de Francisco Sylvio.

Controversia de *necessaria Residencia personali Episcoporum &c.* de dicho D. Fr. Bartholomé Carranza, un tomo en 4.

Los Casos de conciencia propuestos, y resueltos de orden de BENEDICTO XIV. siendo Cardenal, y Arzobispo de Bolonia.

Constituciones Selectas de Be-

nedicto Papa XIV. suplidias, y reintegradas, dos tomos en 4.

Synodo Diocesana de dicho Sumo Pontífice, dos tomos en 4.

De Festis Domini nostri Jesu Christi, & Beate Mariae Virginis de dicho Sumo Pontífice, un tomo en 4.

De Sacrosancto Missae Sacrificio de dicho Sumo Pontífice, un tomo en 4.

Instituciones Ecclesiasticas del mismo Sumo Pontífice, dos tomos en 4.

Idioma de la Naturaleza del Doctor Don Francisco Solano de Luque, un tomo en 8.

Tribunal Confessariorum del R. P. Fr. Martin Vviganadt, del Orden de Predicadores, un tomo en folio.

Gobierno Politico de los Pueblos de España, por Don Lorenzo de Santayana, un tomo en 4.

Suma contra Gentes, un tomo folio.

Opuscula de Santo Thomas, un tomo en folio.

CONTR. ERROR. GRÆC.

Fol. 1

DIVI THOMÆ AQUINATIS, DOCTORIS ANGELICI, OPUSCULA CONTRA ERRORES GRÆCORUM, AD URBANUM IV. PONTIFICEM MAXIMUM, OPUSCULUM I.

PROOEMIUM.



Illud ab excellentia vestra mihi exhibitum, Sanctissime Pater Urbane Papa, diligenter perlegi: in quo inveni quamplurima ad nostræ fidei assertionem utilia, & expressa. Consideravi autem, quod ejus fructus possent apud plurimos inæquæ propter quædam in auctoritatibus Sanctorum Patrum contenta, quæ dubia esse videntur, & unde possent materiam ministrare errorum, & contentiosis dare occasionem, & calumnia. Et ideo ut remota omni ambiguitate ex auctoritatibus in prædicto libello contentis, (1) veræ fidei fructus purissimus caperetur, proposui primo ea quæ dubia esse videntur in auctoritatibus prædictis, exponere, & postmodum ostendere quomodo ex eis veritas catholice fidei & doceatur, & defendatur.

Quod autem aliqua in dictis Græcorum Sanctorum inveniantur quæ modernis dubia esse videntur, ex duobus æstimo provenire. Primo quidem quia errores circa fidem exorti occasione deierunt Sanctis Ecclesie Doctoribus ut ea quæ sunt fidei, majori circumspectione traderent, ad eliminandos errores exortos; sicut patet quod Sancti Doctores qui fuerunt ante errorem Arii, non ita expresse locuti sunt de unitate divinæ essentia, sicut Doctores sequentes: & simile de aliis contingit erroribus, quod non solum in diversis Doctoribus, sed in uno egregio Doctorum Augustino expresse apparet. Nam in suis libris quos post exortam Pelagianorum hæresim edidit, cautiore locutus est de potestate liberi arbitrii quam in libris quos edidit ante prædictæ hæresis ortum: in quibus libertatem arbitrii contra Manichæos defendens, aliqua protulit quæ in sui deiectionem erroris assumptorum Pelagianorum, divinæ gratiæ adversantes. Et ideo non est mirum, si moderni fidei Doctores post varios errores exortos, cautiore, & quasi eliminari loquantur circa doctrinam fidei, ad omnem hæresim evitandam. Unde si aliqua in dictis antiquorum Doctorum inveniantur quæ cum tanta

caute non dicantur, quanta à modernis servantur, non sunt contemnenda, aut abicienda; sed nec etiam ea extendere oportet, sed exponere reverenter. Secundo, quia multa quæ bene sonant in lingua græca, in latina fortassis bene non sonant, propter quod eandem fidei veritatem aliis verbis Latini confitentur, & Græci. Dicitur enim apud Græcos recte, & catholice, quod Pater, & Filius & Spiritus Sanctus sunt tres hypostases; apud Latinos autem non recte sonat, si quis dicat, quod sunt tres substantiæ, licet hypostasis sit idem apud Græcos quod substantia apud Latinos secundum proprietatem vocabuli. Nam apud Latinos substantia visitatis pro essentia accipi solet; quam iam nos, quam Græci tamen in divinis confitemur. Propter quod sicut Græci dicunt tres hypostases, nos dicimus tres personas, ut etiam Augustinus dicit in VII. de Trinitate. Nec est dubium quin etiam simile sit in aliis multis.

Unde ad officium boni translatoris pertinet ut ea quæ sunt catholice fidei transferens, servet sententiam, muret autem modum loquendi secundum proprietatem lingue in quam transferat. Apparet enim quod si ea quæ in latino litteraliter dicuntur, vulgariter exponantur, indecens erit expositio, si semper verbum ex verbo sumatur. Multo igitur magis quando ea quæ in una lingua dicuntur, transferuntur in aliam, in quod verbum sumatur ex verbo, non est mirum si aliqua dubietas relinquatur.

CAPUT I.

Quomodo intelligatur hoc quod dicitur, quod filius habet esse à patre sicut causatum à causa.

Potes est autem apud aliquos esse dubium quod in plerisque locis harum auctoritatum dicitur, patrem esse causam filii, & patrem, vel finem esse causam Spiritus Sancti. Et hoc quidem habetur primo in verbis Athanasii, quæ in Nicæna Synodo dixisse refertur, ubi dicit: *Quid quid habet filius à patre, habet sicut verbum à corde: sicut sonus à fonte, & à causa omne causatum.* Qui autem in

(1) Al. vitæ fidei.

spiritum Christum vocari, vel nomen Christi accipere, & Christum appellari, non quasi Christus de Spiritu Sancto prædicetur, vel è converso (hoc enim esset Sabellianæ impietatis;) sed intelligitur in nomine Christi Spiritus Sanctus ratione concomitantia, quia ubicumque est Christus, est spiritus Christi, sicut ubicumque est pater, est filius. Unde interponit: *Namquid in hoc veritatis prædicator, scilicet Apostolus, veritatem inconfusibilem personarum confudit sabellizando? Non; sed potius hoc Ecclesie indicare curavit, Spiritus Sanctus non sit alienus à natura verbi.*

CAPUT XIV.

Quomodo intelligitur quod dicitur Spiritus Sanctus non mittit filium.

Item dubium potest videri quod Athanasius dicit in 111. sermone Nicæni Concilii, loquens de Ariano. *Non, inquit, ut asserunt alienati à gratia Evangelii, & privati Domini spiritus, spiritus gratificat, & mittit filium, propter hoc quod audiverunt: Et nunc Dominus misit me, & spiritus ejus: Isai. XLVIII. & alibi: Spiritus Domini super me: Isai. LXI.* Hoc enim videtur esse contrarium ei quod Augustinus dicit in Lib. de Trinitate, quod filius sit missus à Spiritu Sancto, probans hoc per auctoritates inductas. Nec solum à Spiritu Sancto, sed etiam à se ipso probat eum missum, quia est missus à tota Trinitate. Sed dicendum est, quod in missione divinæ personæ duo possunt considerari: primo auctoritas personæ mittentis ad personam quæ mittitur; secundo effectus in creatura, ratione cuius persona divina mitti dicitur. Cum enim personæ divinæ sint ubique per essentiam, presentiam, & potentiam, secundum hoc persona divina mitti dicitur, secundum quod novo modo per aliquem novum effectum incipit esse in creatura, sicut filius dicitur esse missus in mundum, in quantum novo modo incipit esse in mundo per visibilem carnem quam assumpsit, secundum illud Apostoli Gal. IV. 4. *Misit Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege.* Dicitur etiam mitti spiritualiter, & invisibiliter ad aliquem, in quantum per sapientiæ donum in eo incipit inhabitare: de qua missione dicitur Sap. I. 10. *Mitte illam, scilicet sapientiā, à sede magnitudinis tuæ, ut tecum sit, & tecum laboret.* Similiter etiam Spiritus Sanctus ad aliquem mitti dicitur, in quantum ipsum inhabitare incipit per donum charitatis, secundum illud Rom. V. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Si ergo in missione divinæ personæ consideretur auctoritas mittentis ad personam missam, sic sola persona potest aliam mittere à qua est persona missa: & secundum hoc pater mittit filium, & filius Spiritum Sanctum, non autem Spiritus Sanctus filium; & sic Athanasius loquitur. Si autem in missione personæ divinæ consideretur effectus, ratione cuius persona mitti dicitur, cum effectus sit communis toti Trinitati (nam tota Trinitas operata est caritatem Christi, & operatur sapientiā, & charitatem in Sanctis;) tunc potest dici, quod persona mittitur à tota Trinitate, & sic intelligit Augustinus.

Sed tamen sciendum est, quod licet persona divina interdum secundum Augustinum dicatur mitti à persona à qua non procedit, non tamen persona quæ à nullo procedit, potest dici quod mittatur. Pater enim, quia à nullo est, à nullo mittitur, licet per aliquod novam gratiæ donum hominem inhabitat, &

ad hominem venire dicitur, secundum illud Joann. XIV. 23. *Pater meus diligit eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Sic ergo in persona quæ mittitur, requiritur quod æternaliter ab alia persona procedat; sed non est necessarium quod procedat æternaliter ab illa persona à qua mittitur; sed sufficit quod ab illa persona sit effectus secundum quem mittitur. Et hoc dicit secundum modum quo Augustinus loquitur de missione. Sed secundum Græcos persona non mittitur nisi ab illa à qua procedit æternaliter: unde filius non mittitur à Spiritu Sancto, nisi forte secundum quod est homo. Propter quod Basilius auctoritates prædictas exponit, ut per spiritum intelligatur pater, secundum quod spiritus essentialiter sumitur, ut dicitur Joann. IV. 24. *Deus spiritus est: & sic etiam Hilarius exponit in Lib. de Trinitate.*

CAPUT XV.

Quomodo intelligitur quod dicitur, quod Spiritus Sanctus vere per filium operatur.

Item dubium est quod Basilius dicit in Libro contra Eunomium, quod Spiritus Sanctus vere per filium operatur: quod quidem videtur esse falsum. Nam persona dicitur operari per illam quæ ab ipsa est, sicut pater per filium, & non è converso. Sed dicendum, quod Spiritus Sanctus dicitur operari per filium secundum naturam humanam, non autem secundum divinam.

CAPUT XVI.

Quomodo intelligitur quod dicitur in Ecclesia: Deus non erat per gratiam in hominibus ante Christi incarnationem.

Item dubium esse videtur quod Athanasius dicit ad Serapionem: *Impossibile erat secundum prædeterminationem divinæ rationis ut Ecclesia Domini invisibilem formam, & incorpoream immediate nudam reciperet; sed consubstantiavit se Dominus eidem Ecclesie formam ejus in se assumens.* Ex quo videtur quod ante Christi incarnationem Deus per gratiam in hominibus non habitaret. Quod etiam quidam heretici dicere præsumperunt occasione illius quod dicitur Joann. VIII. 39. *Nondum erat spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus.* Utrumque autem eodem modo est intelligendum. Nam sicut dicitur, quod Spiritus Sanctus non fuerit ante datus, quia non in tanta plenitudine datus fuerat, in quanta Apostoli eum post Christi resurrectionem acceperunt; ita etiam Ecclesia in tanta plenitudine gratiæ donum accipere non potuit secundum ordinationem divinam, in quanta recepit per Christi incarnationem: quia gratia, & veritas per Jesum Christum facta est, ut dicitur Joann. I. 17. Unde in sermone Nicæni Concilii Athanasius dicit: *Equidem ipsos consummari, & perfici impossibile est, nisi ego perfectum suscipiam hominem.* Quod eodem modo intelligendum est sicut quod supra dictum est. Ideo autem dicit secundum prædeterminationem divinam, quia possibile erat Deo alio modo quam per Christi incarnationem, perfectionem gratiæ humano generi conferre, loquendo de potentia absoluta; sed non potuit humanum genus hanc plenitudinem aliter consequi, supposita Dei ordinatione.

CAPUT XVII.

Quomodo intelligitur, divinam essentiam increatam, conceptam esse, & natam.

Item videtur esse dubium quod Athanasius dicit in epistola ad Serapionem, *essentiam divinam increatam, conceptam esse, & natam ex virgine matre.* Magister enim in III. Sement. dist. V. 111. dicit, quod quæ res non est de patre genita, non videtur esse de matre nata, ne res aliqua filiationis nomen habeat in humanitate quæ non habet in Divinitate. Et sic cum divina essentia non sit nata de patre, non potest dici esse de matre. Sed dicendum, quod sicut improprie essentia divina dicitur generans, vel genita secundum generationem æternam, in quantum essentia ponitur pro persona, ut intelligatur essentia generare, quia pater, qui est essentia, generat; secundum quidem modum dicitur essentia divina nata de Virgine, quia filius Dei, qui est divina essentia, natus est de Virgine.

CAPUT XVIII.

Quomodo intelligitur cum dicitur Deitas homo facta.

Item potest esse dubium quod Athanasius dicit in eadem epistola: *Deitas homo facta per suum spiritum sibi Ecclesiam conformavit.* Dicit enim Magister tertio Libro Sententiarum, quod non debet dici, quod divina natura sit caro facta, sicut dicitur: *Verbum caro factum est.* Sic autem dicitur verbum caro factum, quia verbum homo factus est. Non ergo debet dici quod divina essentia, sive Deitas, facta sit homo. Sed dicendum, quod non dicitur Deitas esse facta homo, quia divina natura sit conversa in humanam, sed per illum modum quo dicitur, quod natura divina assumpsit naturam humanam in una persona, scilicet verbi. Sicut etiam Damascenus dicit, quod natura Deitatis in una personarum suarum incarnata est, id est carni unita.

Sciendum tamen, quod alia ratione dicitur, quod verbum est homo, & quod Deitas est homo. Cum enim dicitur, Verbum est homo, est prædicatio per informationem, quia scilicet persona verbi est subsistens in humana natura. Cum vero dicitur, Deitas est homo, non est prædicatio per informationem, quia humana natura non informat divinam; sed est prædicatio per identitatem, sicut etiam cum dicitur, Essentia divina est pater, vel, Essentia divina est filius: homo enim supponit pro persona filii, cum dicitur, Deitas est homo. Et eadem ratio veritatis, cum dicitur, Deitas est facta homo, quia incipit esse persona filii incarnata, quod importatur in nomine hominis, licet non inciperet esse persona filii: semper enim Deitas fuit filius, sed non semper fuit homo.

CAPUT XIX.

Quomodo intelligitur quod filius Dei assumpsit humanam naturam in sua essentia.

Item dubium videtur quod Athanasius dicit in 111. sermone Nicæni Concilii de filio Dei loquens: *In sua usita, id est essentia, naturam nostram à nobis assumpsit.* Cum enim assumptio, ad unionem terminetur, sicuti unio non est facta in natura, sed in persona; ita non videtur quod humana natura sit assumpta in essentia filii. Dicendum est ergo, quod locutio est

impropria, & sic exponenda. Assumpsit nostram naturam in sua usita, id est, ut esset unita suæ usite in una persona.

CAPUT XX.

Quomodo intelligitur cum dicitur, hominem esse assumptum.

Item videtur esse dubium quod Athanasius dicit in eodem sermone, hominem esse assumptum, sic inquit, ex persona filii loquens: *Pro pleno homine assumpto, plenum, & perfectum hominibus Spiritum Sanctum deat: & in epistola ad Serapionem: Communio essentia est à Patre per Filium in Spiritu Sancto per deificum, & Deum factum hominem ab eodem filio sumptum.*

Sciendum est autem, quod cum nihilumat se ipsum oportet semper esse diversum assumens, & assumptum, recipiens, & receptum. Si ergo homo dicitur assumptus à filio Dei, oportet quod id quod supponitur nomine hominis, sit diversum ab eo quod supponitur nomine filii Dei. Nominem autem hominis potest supponi vel aliqua persona hominis completa, vel saltem aliquid suppositum hominis, non habens rationem personæ. Si ergo dicatur, quod homo sit assumptus secundum quod homo supponit pro aliqua persona humana, sic sequetur quod persona divina assumpsit humanam personam; & sic erunt duæ personæ in Christo: quod est hæresis Nestoriana; & ideo Augustinus (Fulgentius) dicit in Lib. de Fide ad Petrum, quod Deus verbum non accepit personam hominis, sed naturam.

Quidam vero dixerunt volentes hunc errorem vitare, quod cum dicitur homo assumptus à verbo, in nomine hominis intelligitur quoddam suppositum humanæ nature, quod est hic homo, non tamen est persona hominis: quia non est per se separatim existens, sed est unitum alicui digniori, scilicet filio Dei. Et quia hoc suppositum hominis, quod significatur assumptum, cum dicitur homo assumptus, est aliud à supposito filii Dei, dicunt in Christo duo supposita, sed non duas personas. Sed ad hanc positionem sequitur quod hæc propositio non sit vera, Filius Dei est homo. Impossibile est enim quod duorum quorum unum est aliud secundum suppositum ab altero, unum de altero vere prædicetur. Et ideo communiter tenetur, quod sit unum tantum suppositum, quod supponitur nomine hominis, & nomine filii Dei. Ex quo sequitur quod hæc sit falsa, vel impropria: Homo est assumptus: sed est exponenda: Filius Dei assumpsit hominem, id est humanam naturam.

CAPUT XXI.

Quomodo intelligitur quod dicitur, quod Deus fecit hominem esse Deum.

Item dubium est de hoc quod Athanasius dicit in eadem epistola: *Filius Dei, ut hominem ad se reduceret, hominem in sua hypostasi assumens deificando Deum fecit: & in 111. sermone Nicæni Concilii. Ipsos consummari impossibile est, nisi ego suscipiam perfectum hominem, & deificem, & tecum Deum faciam.* Ex quibus datur intelligi quod hæc sit vera, Homo factus est Deus. Sed sciendum, quod secundum illam opinionem quæ in Christo dicit duo supposita, æqualiter utraque est vera, Deus est factus homo, &

4
aut de personalibus, & sic quæ sunt propria patris, non sunt propria filii, sicut inasabilius, & paternitas nullo modo sunt filii, sed solum patris. Patet autem ex præmissis ab eo, quod loquitur de essentialibus attributis. Præmittit enim quod quæcumque naturaliter dicuntur inesse patri, omnia illa insunt filio, sicut vita, veritas, lux, & huiusmodi. Hæc autem dicuntur esse propria patri non in respectu ad filium, neque filio in respectu ad patrem, sed utriusque in respectu ad creaturam, cui in comparatione ad Deum non proprie prædicta conveniunt; vel proprium, non quod convenit uni soli, sed quod proprie & vere alicui convenit secundum se.

CAPUT VII.

Quomodo intelligitur quod pater neque filio neque Spiritu Sancto imaget ad sui perfectionem.

Item potes esse dubium quod Athanasius dicit in epistola ad Serapionem, quod pater per se, & in se sine alicuius imaginaria plenitudo, & perfectus existens Deus, ad sui perfectionem neque filio, neque Spiritu Sancto indiget. Quod enim pater non sit indigens, dubium non est: sic enim neque filius, neque Spiritus Sanctus indigens est. Illud enim proprie est indigens cui in se considerato aliquid deest ad suam perfectionem, quod non potest dici neque de patre, neque de filio, neque de Spiritu Sancto. Sed tamen pater quod non posset esse pater perfectus, nisi filium haberet, quia nec pater sine filio esset, nec esset Deus perfectus, nisi haberet verbum, & nisi haberet spiritum vitæ, sicut enim Athanasius dicit in tertio sermone gestorum Nicæni Concilii, sic inquisiens de Ariano, qui negabant filium, & Spiritum Sanctum esse consubstantiales patri: *Dicunt stultum esse, & infructuosam naturam paternam, quæ omnibus rebus insitum, & propagativam similitudinem dedit naturam. Et mutuum faciunt patrem, & sine verbo, qui omnibus rationalibus facultatem dedit loquendi. Mortuum etiam ipsum patrem dicunt, & experient vicem naturæ, inquantum scilicet negant Spiritum Sanctum coessentialem patri. In quo apparet quod non esset pater Deus perfectus, nisi filium, & Spiritum Sanctum haberet. Idem etiam Athanasius dicit in epistola ad Serapionem, quod pater non potuit creare creaturam nisi per verbum, & desiccantur creaturis se non potest communicare nisi per idem verbum: & similiter nec filius nisi in Spiritu Sancto. Commune ergo est patri, & filio, & Spiritu Sancto, quod nullus eorum sit indigens. Item commune est: culibet eorum quod nullus sine aliis duobus potest esse Deus perfectus. Sed hæc ratione proprie de patre dicit Athanasius, quod ad sui perfectionem filio, & Spiritu Sancto non indiget, quia ipse suam perfectionem non habet ab alio; filius autem, & Spiritus Sanctus, suam perfectionem habent a patre. Unde idem Athanasius dicit in epistola ad Serapionem: *Non ratione filii, nec ratione Spiritus Sancti pater existit plenus beatus Deus. Neque enim a supra se habet a quo sit, neque ab infra se habet a quo habeat, idest quod sit a filio, vel Spiritu a Sancto.**

CAPUT VIII.

Quomodo intelligitur quod Spiritus Sanctus dicitur ingenuus.

Item videtur esse dubium quod Gregorius Nazianzenus in sermone de Epiphania dicit, quod Spiritus Sanctus secundum quod est in Deo, procedit ut sit ingenuus, & non filius, medius ingenui genitrici. Non enim videtur quod Spiritus Sanctus ingenuus dici possit. Hilarius enim dicit in Lib. de Synodis, quod si quis duos ingenuos dicit, duos Deos facit. Item Athanasius dicit in epistola ad Serapionem, quod non est ingenuus Spiritus Sanctus, quia imprincipium esse, & ingenuum soli Deo patri catholica Ecclesia congregata apud Nicæam recte, & fideliter attribuit, & de solo patre hoc esse credendum, & prædicandum, toti mundo sub anathemate mandavit. Sed dicendum, quod ingenuus dupliciter accipi potest. Uno modo pro eo quod caret principio; & sic soli patri convenit, ut ex dictis Athanasii patet. Alio modo pro eo quod non est genitum, licet sit principium habens, & sic non solum Gregorius Nazianzenus in verbis præmissis, sed etiam Hieronymus in regulis definitum contra hereticos Spiritum Sanctum dicit esse ingenuum.

CAPUT IX.

Quomodo intelligitur quod Spiritus Sanctus dicitur medius patris & filii.

Item in præmissis verbis Gregorii Nazianzeni dubium est quod dicit, Spiritum Sanctum esse medium ingenui, genitrici idest patris, & filii; cum magis dicatur esse tertius, vel tertius in Trinitate persona, ut supra habitum est. Sed dicendum, quod non dicitur esse medius secundum ordinem enumerationis, qui respondet ordini originis, sic enim filius medius est inter patrem & Spiritum Sanctum; sed dicitur medius quasi communis nexus amorem, est enim communis amor patris, & filii. Et similiter exponendum est quod Epiphanius dicit in Libro de Trinitate, quod Spiritus Sanctus est in medio patris, & filii.

CAPUT X.

Quomodo intelligitur hoc quod dicitur, quod Spiritus Sanctus sit imago filii.

Item in pluribus locis harum auctoritatum dicitur, quod Spiritus Sanctus sit imago filii, sicut Athanasius dicit in sermone tertio Nicæni Concilii: *Spiritus Sanctus patri, & filii una deifica, & vivifica dicitur, & est vera imago filii, ipsum per omnia in se essentialiter tenens, naturaliter representans, quemadmodum & filius est imago patris: & in epistola ad Serapionem: Spiritus Sanctus ipsum filium in se continet naturaliter, tamquam eius vera & naturalis imago. Item Basilius: Spiritus Sanctus dicitur digitus, spiramen, unctio, sufflatio, sensus Christi, processio, productio, missio, humanatio, effusio, vaporatio, splendor, imago, character, Deus verus: & iterum: Spiritus Sanctus a patre, & filio verus vera, & naturalis imago patris, & filii existit, ipsa se utrumque nobis naturaliter representans. Apud Lactantius autem non convenit dici, quod Spiritus Sanctus sit imago patris, vel filii. Dicit enim Augustinus in VI. de Trinitate, quod per verbum solus filius accipitur, & quod sic verbum dicitur quomodo imago, & quod solus filius est imago patris, quemadmodum & filius. Richardus etiam de Sancto Victore in suo Libro de Trinitate assignat rationem, quare Spiritus Sanctus non possit dici imago, sicut filius, quia Spiritus Sanctus, licet patri sit similis in natura, sicut & filius, non tamen convenit cum eo in aliqua proprietate relativa, sicut convenit filius cum*

parte in spiratione activa Spiritus Sancti.

Quidam autem huius rationem assignant, quod propter hoc Spiritus Sanctus non potest dici imago, quia esset imago duorum, scilicet patris, & filii, cum sit a duobus: non potest autem esse duorum una imago. In auctoritate autem sacre Scripturæ, quam prætergredi non licet de divinis loquentes, expresse habetur, quod filius sit imago patris: dicitur enim Colossens. 1. 13. *Transiit nos in regnum filii dilectionis sue, in quo habemus redemptionem peccatorum, qui est imago Dei invisibilis: & Hebr. 1. 3. dicitur de filio: Cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius.*

Sed sciendum, quod a Sanctis Græcis duæ auctoritates sacre Scripturæ inducuntur; in quibus videtur dici, quod Spiritus Sanctus sit imago filii. Dicitur enim Rom. 8. 29. *Quos præcivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui.* Imago autem filii nihil aliud videtur esse quam Spiritus Sanctus. Item 1. ad Corinth. 15. 49. dicitur: *Sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem celestis, idest Christi: per quam imaginem intelligunt spiritum Sanctum; licet in his auctoritatibus non expresse Spiritus Sanctus imago dicitur. Potest enim intelligi, quod homines conformiter imagini filii, vel quod portant imaginem Christi, inquantum ipsi homines Sancti per dona gratiarum, ut sint similes Christo, perficiuntur, secundum illud Apost. 11. ad Corinth. 11. 18. *Nos autem revelata facie gloriantur Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur a claritate in claritate tamquam a Domini spiritus.* Hic enim imaginem non dicit esse spiritum Christi, sed aliquid a Spiritu Dei in nobis existens.*

Sed quia presumptuosum est tantorum Doctorum tam expressis auctoritatibus contraire, possumus quidem dicere Spiritum Sanctum esse imaginem patris, & filii, ita quod per imaginem nihil aliud intelligatur quam existens ab alio, & eius similitudinem gerens. Si autem per imaginem intelligatur, aliquid existens ab altero, ex ipsa sua originis ratione habens quod similitudinem gerat ejus a quo existit, inquantum ab altero, ut filius genitus, vel ut verbum conceptum, sic solus filius dicitur imago: de ratione enim filii est quod similitudinem patris habeat in quocumque natura; & similiter de ratione verbi est quod sit similitudo ejus quod verbo exprimitur, cuiuscumque sit verbum; sed non est de ratione Spiritus, vel amoris, quod sit similitudo ejus cuius est, in omnibus; sed hoc in spiritus Dei verificatur propter divinæ essentia unitatem, & simplicitatem, ex qua oportet quod quicquid est in Deo, sit Deus. Nec obstat ad rationem imaginis quod Spiritus Sanctus non convenit cum patre in aliqua personali proprietate, quia similitudo, & æqualitas personarum divinarum non attenditur secundum proprietates personales, sed secundum attributa essentialia. Neque enim inæqualitas, & dissimilitudo secundum personalium proprietatem differentiam in divinis dici debet, sicut Augustinus dicit in Libro contra Maximum. Cum enim dicitur filius a patre genitus, non ostenditur inæqualitas substantiæ, sedordo nature. Similiter etiam non obstat quod Spiritus Sanctus est a duobus. Est enim a duobus, inquantum sunt unum, cum pater, & filius sint unum principium Spiritus Sancti.

CAPUT XI.

Quomodo intelligitur, quod filius sit in patre sicut in sua imagine.

Athanasius dicit in epistola ad Serapionem: *Filius est in suo patre, tamquam in propria sua imagine.* Non enim pater est imago filii, sed magis filius est imago patris. Sed dicendum, quod imago hic improprie sumitur pro exemplari: sic enim quandoque abusive accipitur.

CAPUT XII.

Quomodo intelligitur, quod Spiritus Sanctus sit verbum filii.

Item videtur esse falsum quod Basilius dicit in 111. sermone de Spiritu Sancto contra Eunomium hereticum. Sicut, inquit, filius se habet ad patrem, eodem modo Spiritus Sanctus se habet ad filium. Et propter hoc dicitur, quod verbum patris est filius, verbum autem filii spiritus. *Portat, inquit, Apostolus Heb. 1. 3. omnia verbo virtutis sue.* Verbum enim, ut Augustinus dicit in Lib. de Trinitate, solus filius est. Unde & Joannes nomen verbi pro nomine filii ponit: nam in principio sui Evangelii dicit: *In principio erat verbum:* qui etiam in sua canonica 1. v. 7. dicit: *Tres sunt qui testimonium dant in celo, pater, verbum, & Spiritus Sanctus.* Nec refert, si quis translationem mutet, ut loco verbi eloquium ponat: nam id quod quis loquitur, verbum ejus est. Unde sicut solus filius in Divinitate est verbum, ut solus est eloquium. Sed dicendum, quod verbum Dei quandoque dicitur etiam sermo divinitus inspiratus, & prolatus: & de hoc verbo hic Basilius intelligit, dicens Spiritum Sanctum esse verbum, vel eloquium filii effective, inquantum Sancti ab eo inspirati de filio sunt locuti, secundum quod dicitur Joan. xvi. 13. de Spiritu Sancto: *Quocumque audierit, loquetur.* Et quod hic sit intellectus Basilius, patet: ex eo quod subdit: *Hæc quo eloquium filii per Apostolum: Gladium spiritus, dicit, sumit, quod est verbum Dei.* Ipsum enim verbum fidei a Sanctis prolatum, gladius spiritus manifeste dicitur.

CAPUT XIII.

Quomodo intelligitur quod dicitur, quod nomine Christi intelligitur Spiritus Sanctus.

Item dubium esse videtur quod Cyrillus in Lib. Thesaurorum videtur dicere quod aliquando nomine Christi Spiritus Sanctus intelligatur, sic inquisiens. *Apostolus appellatione Christi Spiritum Sanctum Christum vocavit: ait enim: Si in vobis Christus est, corpus quidem mortuum est, &c. & post pauca: Spiritus Sanctus in nomine Christi operando, & eundem Christum in se representando, nomen Christi accipere, & Christus ab Apostolo operari dicitur.* Hoc autem videtur esse contra personarum distinctionem, ut nomen unius persone alteri attribuitur. Sicut enim pater nunquam est filius, nec e converso: ita filius nunquam est Spiritus Sanctus, nec e converso. Non potest ergo nomen Christi de Spiritu Sancto prædicandum, quod dicitur Pater appellatione Christi dicitur

tur, vel negat causatum, eundem & causam ejus negat. Dicitur causatus genitus filius: Qui me spernit, spernit eum qui me misit. Et alibi: Non est imprincipiatus Spiritus, hoc est sine principio, & causa, sed potius ipsum demonstrat Deum verum, principium tamen non ex tempore, sed ex causa vera originis. Item Basilii Episcopus: Spiritus Sanctus ab ipso Deo missus, causam habet ipsam. Et iterum Theodoretus super epistolam ad Heb. Causa filii pater est. Apud Latinos autem nos est consuetum quod pater dicatur causa filii, vel Spiritus Sancti, sed solum principium, vel auctor. Et hoc propter tria. Primo quidem quia pater non potest intelligi causa filii per modum causae formalis, vel materialis, vel finalis, sed solum per modum causae originatis, quae est causa efficiens. Hanc autem semper invenimus secundum essentiam esse diversam ab eo cuius est causa. Et ideo ne filius intelligeretur esse alterius essentiae à patre, non consuevimus dicere patrem esse causam filii, sed magis utitur illis nominibus quae significant originem cum quadam consubstantialitate, sicut fons, caput, & alia hujusmodi. Secundo, quia causa apud nos correspondet effectui: unde patrem non dicimus esse causam, ne aliquis intelligat filium esse factum. Nam & apud Philosophos prima causa Deus nominatur; omne autem causatum sub universitate creaturarum comprehenditur apud eos: & ideo si filius causam dicatur habere, posset intelligi quod sub universitate causatorum, vel creaturarum comprehenderetur. Tertio, quia de divinis non de facili debet homo aliter loqui quam sacra Scriptura loquatur. Scriptura autem sacra patrem nominat principium filii, ut patet Joan. 1. In principio erat Verbum. Numquam autem dicit patrem esse causam, vel filium causatum. Unde cum causa plus dicat quam principium, non praesumimus patrem dicere causam, nec filium causatum. Nihil autem ab origine pertinet, (1) adeo proprie dicitur in divinis, sicut hoc nomen principium. Quia enim ea quae sunt in Deo, incomprehensibilia sunt, & definiti à nobis non possunt, convenientius utitur in Deo nominibus communibus quam propriis: propter quod maxime proprium nomen ejus dicitur esse Qui est, quod est communissimum, ut patet Exod. 111. Sicut enim causa est communis quam elementum, ita & principium quam causa: dicitur enim punctum principium lineae, sed non causa. Et ideo convenientissime nomine principii utitur in divinis.

Nec tamen intelligendum est, quod Sancti praedicti, qui nomine causae, & causati uruntur in divinis personis, intendant diversitatem naturae inducere, aut filium esse creaturam. Sed per hoc volunt ostendere solam originem personarum, sicut nos nomine principii. Unde dicit Gregorius Nyssenus: Causam autem, causatumque dicentis, non naturam per haec nomina significamus. Neque enim haec nomina loco essentiae, vel naturae ratione damus; sed qualiter inter se habent differentiam demonstramus, ut scilicet filium non ingentium esse, neque patrem per generationem aliquam demonstramus ab aliquo. Item Basilii dicit: Spiritum Sanctum dico ingentium, non habere patrem, nec creaturam, quia non est creatus, sed causam habet Deum, cuius visus est spiritus, à quo & procedit.

(1) Al. à Deo.

CAPUT II.

Quomodo intelligatur cum dicitur, quod filius sit secundus à Patre, & Spiritus Sanctus sit tertius.

Item invenitur in auctoritatibus praedictorum Doctorum, quod filius sit secundus à patre, & Spiritus Sanctus sit tertius ab eodem. Dicit enim Athanasius in sermone ad Serapionem: Spiritus Sanctus tertius est à patre, à filio tamen est secundus. Et Basilii dicit: Dignitate quidem, & ordine secundus est à filio spiritus. Hoc autem alicui potest videri falsum. In divinis enim personis non est nisi ordo, secundum quem, ut Augustinus dicit, non est alter prior altero, sed est alter ex altero. Nullus enim modus prioritatis est, secundum quem prior prior dici possit. Neque enim prior est pater tempore, cum filius sit aeternus; neque prior natura, cum pater, & filii sit una natura; neque dignitate, cum pater, & filius sint aequales; neque enim intellectu, cum non distinguantur nisi relationibus; relativa autem sunt simul secundum intellectum, cum unum sit de intellectu alterius. Et ita patet quod ita proprie loquendo, filius non possit dici esse secundus à patre, nec Spiritus Sanctus tertius ab eodem.

Dicitur ergo Doctores praedicti, filium esse secundum, & Spiritum Sanctum esse tertium, secundum ordinem in numerando; quod patet ex ipso Basilio, qui dicit: Recepinus Spiritum Sanctum à patre, & filio, tertium connumeratum, & conglorificatum spiritum filii Dei, qui tradens ordinem salutiferi baptismatis, dixit: Bentes, baptizate, omnes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Et Epiphanius dicit: Spiritus Dei ex patre, & filio tertius est appellatione. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Quod autem dicit Basilii, quod spiritus sit secundus à filio dignitate, videtur majorem habere calumniam: quia videtur in dignitate Trinitatis consistere gradum, cum sit par dignitas, & eadem trium personarum. Potest autem hoc exponi non de dignitate naturali, sed de personali, sicut & secundum non dicitur, quod persona est hypostasis proprietate distincta ad dignitatem pertinet. Secundum quem modum dicit Hilarius, quod pater est major filio propter auctoritatem originis; filius tamen non est minor patre propter substantiae unitatem.

CAPUT III.

Quomodo intelligitur hoc quod dicitur, quod Spiritus Sanctus sit tertium lumen.

Ahuc autem videtur esse magis calumniosum quod ex verbis Sancti Epiphani Cypriensis Episcopi inducitur dicentis: Spiritus Sanctus spiritus est veritatis, lumen tertium à patre, & filio. Ubi enim est unitas, non est ordo primi, & tertii. Pater autem, & filius, & Spiritus Sanctus sunt unum lumen, sicut & unus Deus. Sicut ergo non potest catholice dici, quod Spiritus Sanctus sit tertius Deus à patre, & filio, ita non potest dici, quod sit tertium lumen. Dicitur autem quod est tertia persona propter personarum pluralitatem. Ex hoc ergo quod dicit lumen tertium, sequitur quod sint tria lumina, quod ipse postmodum expresse subiungit, dicens: alia vero omnia positione, vel compositione, sive appellatione luminum.

mina dicuntur, non tamen istis tribus luminibus similia. Potest autem dici, quod lumen originem quamdam importat: nam lumen est quod ex aliqua luce diffunditur, & etiam ex se aliud lumen diffundere potest. Et secundum hoc nomen luminis ad personales proprietates trahi potest ratione proprietatis diffusivae, licet secundum ipsam naturam lucis ad essentiam pertineat. Et hoc attendens dicitur Pater, tertium lumen, & tria lumina dixit in divinis; licet hoc nullo modo sit ad consequentiam trahendum, sed simpliciter confitendum, quod pater, & filius, & Spiritus Sanctus sunt unum lumen.

CAPUT IV.

Quomodo intelligatur, quod essentia sit genita in filio, & spirata in Spiritu Sancto.

Invenitur autem in dictis praedictorum Patrum, quod essentia sit genita in filio, & spirata in Spiritu Sancto. Dicit enim Athanasius in tertio sermone gestorum Niceni Synodi, ex persona filii loquens: Tuum spiritum cum divina essentia à te genita ipsis hominibus compenso; & parum post: Ex tua essentia, quam in me genuisti, Spiritum Sanctum do eis; & idem in epistola ad Serapionem: Essentiam suam in se ipse genitor retinens, totam in filio suo inenarrabiliter genuit; & iterum: Sicut pater habet vitam in se ipso, id est naturam vitam spirantem, sic dedit & filio vitam habere in semetipso, hoc est eandem naturam genuit in filio spirantem spiritum vivum: & infra dicit, patris, & filii unam esse Deitatem naturaliter spirantem unum Spiritum Sanctum. Ex quibus verbis habetur, quod natura divina in filio sit genita, & in patre, & filio sit spirans. Item Cyrillus in Libro Thesaurorum contra haereticos: Virtus increata, & genita in filio, filii est per omnem modum naturae paterna; & iterum: Pater filio dedit vitam, id est vitam suam naturalem genuit in filio. Item Basilii: Ipse filius, quem dat nobis pater, est Deus de Deo essentialiter genitus, habens in se totam essentiam patris genitam. Item Athanasius dicit in epistola ad Serapionem, essentiam divinam in Spiritu Sancto esse spiratam, dicens, quod Spiritus Sanctus est vera & naturalis imago filii per essentiam omnimodam ab eodem in se spiratam. Hic autem modus loquendi calumniosus est: & in sacro Lateranensi Concilio reprobatur est dogma Joachim, qui hunc modum loquendi contra Magistrum Petrum Lombardum defendere praesumpsit. Ostendit enim praedictus Magister Petrus in quinta distinctione primi Libri Sententiarum, quas edidit, quod communis essentia non generat, nec gignitur, nec procedit. Et hoc ideo quia in divinis invenitur aliquid commune indistinctum, & aliud quod distinguitur, & non est commune. Illud ergo quod est distinctionis ratio in divinis, non potest attribui ei quod est commune, & indistinctum, sed solum ei quod distinguitur. Nulla autem alia distinctionis ratio in divinis invenitur nisi ex eo quod unus generat, & alius nascitur, & alius procedit. Non ergo hoc ipsum quod est generare, vel nasci, vel procedere, potest essentiae divinae attribui, quae est communis, & omnino indistincta in tribus personis. Id autem quod est distinctum in divinis, est persona, vel hypostasis, vel suppositum divinae naturae, id est quod est habens divinam naturam. Et ideo illa quae significant, vel supponere possunt personam, recipiunt congruenter praedicationem generationis, aut processionis, sicut haec nomina pater, filius, & Spiritus Sanctus significant personas determinatas, & hoc nomen persona,

vel hypostasis in communi. Unde convenienter dicitur, quod pater generat filium, & quod filius nascitur à patre, & quod Spiritus Sanctus procedit à patre, & filio; & similiter quod persona generet, vel spiret personam, aut generetur, aut spiretur à persona. Hoc autem nomen Deus, quia significat essentiam communem per modum concreti (significat enim habentem Deitatem) potest supponere ex modo suae significationis pro persona; & ideo etiam hujusmodi locutiones convenienter conceduntur, Deus generat Deum, Deus nascitur, vel procedit à Deo. Hoc autem nomen essentia, & Divinitas, & quaecumque in abstracto significantur, non habent ex modo suae significationis neque quod significant, neque quod supponant pro persona. Et ideo non proprie ea quae sunt propria personarum, de hujusmodi nominibus praedicantur, ut dicatur essentia generans, vel genita; licet quaedam horum nominum propinquiora sint personis, inquantum significant principia actuum qui sunt propriae personarum, sicut lumen, sapientia, bonitas, & hujusmodi. Unde & quae sunt propria personarum, de talibus minus inconvenienter praedicantur, ut cum dicitur filius lumen de lumine, sapientia de sapientia; sed essentia de essentia magis inconvenienter dicitur. Sed licet modus significandi diversus sit cum dicitur Deus, & Deitas, tamen res est eadem penitus; & ideo propter rei identitatem sicut unum de altero praedicatur; ut cum dicitur, Deus est Deitas, vel persona divina, sive pater est divina essentia; ita & à Sanctis interdum unum pro alio ponitur, ut sic dicitur, quod essentia divina generat, quia pater, qui est essentia divina, generat: & essentia est de essentia, quia filius, qui est essentia, est de patre, qui est eadem essentia divina; & sic exponit Cyrillus in Lib. Thesaurorum dicens: Pater de se vita vivente, & essentia veraciter existente, tamquam à vera radice, generando filium, dat ei naturaliter suam naturalem vitam, & essentiam. Et sic etiam cum dicitur, quod pater genuit naturam suam in filio, exponendum est, quod per generationem suam naturam filio dedit, sicut ex praemissis verbis Cyrilli habetur.

CAPUT V.

Quomodo intelligitur quod Jesus dicitur filius paterna essentia.

Ex hoc etiam patet qualiter exponendum sit quod idem Cyrillus in eodem Libro dicitur videtur: Quomodo ergo Jesus filius paterna essentia erit creatura? Non enim dicitur filius essentiae paterna, quasi à paterna essentia genitus, sed quasi paternam essentiam per generationem accipiens. Et per hunc modum exponenda sunt omnia quae similiter dici inveniuntur, sicut quod dicitur filius, & spiritus essentialiter procedere, inquantum procedendo essentiam à patre accipiunt.

CAPUT VI.

Quomodo intelligitur quod quae sunt propria naturaliter patris, sunt propria filii.

Potest esse dubium quod Cyrillus in eodem Lib. Thesaurorum dicit: Omnia quae patris sunt propria naturaliter, sunt propria & filii. Aut enim hoc intelligit de essentialibus attributis, & sic neque patri neque filio sunt propria, sed utrique communia;

homo factus est Deus. Est enim sensus secundum eos, cum dicitur, Deus factus est homo: Suppositum divinæ naturæ unicum est supposito humanæ naturæ: & è converso cum dicitur, Homo factus est Deus, sensus est: Suppositum humanæ naturæ est unicum filio Dei. Sed tenendo quod in Christo sit unum tantum suppositum, hæc est vera, & propria, Deus factus est homo, quia ille qui fuit Deus ab æterno, incepit esse homo ex tempore. Hæc autem non est vera proprie loquendo, Homo factus est Deus, quia suppositum æternum quod supponitur nomine hominis, semper fuit Deus: unde exponenda est sic: Homo factus est Deus; idest, factum est, ut homo sit Deus.

CAPUT XXII.

Quomodo intelligitur amotam esse à Christo imaginem primæ parentis.

Item dubium est quod dicit Athanasius in prædicta epistola, ex persona Christi loquens, Post resurrectionem amota à me imagine primæ parentis, & abolita per trophæum crucis, ego sum immortalis vos patri meo in filios adppto. Sciendum est enim, quod imaginem primæ parentis tripliciter quis potest habere. Primum quidem quantum ad similitudinem naturæ, sicut dicitur Genes. v. 3. *Vixit Adam centum triginta annis, & genuit filium ad imaginem & similitudinem suam.* Secundo quantum ad culpam, de quo dicitur I Cor. xv. 49. *Sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cælestis.* Tertio secundum pænalitatem, sicut habetur Zach. xiii. 5. *Homo agricola ego sum, quoniam Adam exemplum meum ab adolescentia mea.* Primam ergo Adæ imaginem Christus assumpsit cum nostra natura, & nunquam deposuit; secundam vero nunquam habuit; tertiam quidem assumpsit, sed in resurrectione deposuit: & de hac loquitur Athanasius.

CAPUT XXIII.

Quomodo intelligitur quod dicitur, quod creatura non potest comparari Creatori.

Item videtur esse dubium de hoc quod Athanasius in sermone Nicæni Concilii dicit: *Aut quomodo Creatori creatura cooperatur, iniment nobis.* Ex quo datur intelligi quod creatura Creatori cooperari non possit quod videtur esse falsum, cum Sancti dicantur esse Dei adiutores; & cooperatores, secundum Apostolum. Sed sciendum, quod aliquid dicitur cooperari alicui dupliciter. Uno modo quia operatur ad eundem effectum, sed per aliam virtutem, sicut minister domino, dum eius præceptis obedit, & instrumentum artificis, à quo movetur. Alio modo dicitur aliquid cooperari alicui, inquantum operatur eandem operationem cum ipso, sicut si diceretur de duobus portantibus aliquid pondus, vel de pluribus trahentibus navem, quod unum alteri cooperatur. Secundum igitur primum modum creatura potest dici Creatori cooperari quantum ad aliquos effectus, qui fiunt mediante creatura; non tamen quantum ad illos effectus qui sunt immediate à Deo, ut creatio, & sanctificatio. Secundo autem modo creatura Creatori non cooperatur, sed solum tres personæ sibi invicem cooperantur, quia earum est operatio una; non autem ita quod quilibet earum partem virtutis possideat, per quam operatio complebitur, sicut accidit in multis trahentibus navem, sic enim cujuslibet virtus esset impetec-

ta; sed ita quod tota virtus ad operationem sufficiens est in qualibet trium personarum.

CAPUT XXIV.

Quomodo intelligitur quod dicitur, creaturam Creatori non esse propriam.

Item dubium videtur esse quod Basilus dicit contra Arium, quod creatura Creatori non est propria: quod est contra id quod dicitur Joannis 1. 13. *In propria venit, & sui cum non receperunt.* Sed hoc solvit Gregorius in quadam homilia, dicens quod creatura est propria Dei secundum potestatem, aliena vero secundum naturam, idest alterius naturæ à Deo existens.

CAPUT XXV.

Quomodo intelligitur quod in Angelis quantum ad naturam, non dicimus esse secundum, & tertium.

Item dubium est quod Basilus dicit contra Eunomium: *In Angelis ordinalium dicimus unum principem, alium autem subiectum in natura, tamen non dicimus secundum, & tertium.* Ex quo videtur quod omnes in natura sunt æquales à Deo creati, ut posuit Origenes. Apud nos autem dicitur, quod sicut differunt in donis gratiarum, ita etiam in naturalibus bonis. Sed dicendum, quod hoc quod dicit Basilus, in Angelis non esse quantum ad naturam secundum, & tertium, non est intelligendum, quod unus non sit perfectior naturæ quam alius, sed quia omnes communicant in una natura generis, licet non in natura speciei.

CAPUT XXVI.

Quomodo intelligitur quod dicitur, quod docente Paulo etiam Seraphim addiscit.

Item dubium est quod dicit Cyrillus in Libro Theosorum, quod docente Paulo non solum humana ratio addiscit, verum etiam & Seraphim superioris mysteria cordis paterni occulta reserantur. Ex quo videtur, quod ad Angelos etiam summos cognitio deveniat per homines. Et videtur hoc esse dictum proprie id quod habetur Ephes. iiii. 8. *Mihi omnium Sanctorum, minimo data est gratia hæc, in genibus evangelizare investigabiles divitias Christi &c. ut innoscat Principibus, & Potestatibus in cælestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei.* Sed contrarium hujus docet Dionysius in iv. cap. angelicæ Hierarchie, ostendens quod cognitio divinorum prius ad angelos quam ad homines pervenit: & in vii. cap. eiusdem Libri dicit, quod Seraphim immediate à Deo edocentur. Et Augustinus dicit super Genesim ad litteram, quod non lauit Angelos mysterium regni celorum, quod opportuno tempore revelatum est pro nostra salute. Et ideo dicendum est, quod cum Angelorum non sit futura prenoscere, sed Dei solius, licet Angeli ipsum mysterium nostræ redemptionis à sæculo cognoverint, ut Augustinus dicit, tamen aliorum hujus redemptionis circumstantias plene nesciverunt quantum erant future, sed eis completis, eorum notitiam acceperunt, sicut & aliorum que presentialiter fiunt. Non ergo sic intelligendum est quod docente Paulo mysteria divina superius Seraphim sint revelata, quasi ipsi à Paulo didicerint; sed quia Paulo predicante, &

& aliis Apostolis, perficiebantur ea que presentialiter Angeli cognoscebant, & futura ignoraverant. Et hoc sonant verba dicentis, angelicas dignitates presantum mysterium ad purum non intellexisse, donec completa est passio Christi, & Apostolorum predicatio per gentes dilatata.

CAPUT XXVII.

Quomodo intelligitur cum dicitur, quod spiramen quod inspiravit Deus in faciem hominis, non est anima rationalis, sed sancti spiritus effusio.

Item dubium est quod Cyrillus dicit, quod cum dicitur Genes. 11. 7. quod *Inspiravit Deus in faciem hominis spiraculum vite, ut fieret homo in animam viventem*, ipsum spiramen non dicimus animam: sic enim esset anima inconvertibilis, & non peccator, quia de essentia esset divina: sed sancti spiritus effusionem in ipso principio suppositam anime humanæ dixit Moyses: quod est contra expositionem Augustini, qui animam humanam per illud spiramen ponit, & ostendit quod non propter hoc sequitur quod sit de substantia divina: est enim tropica locutio, ut dicitur inspirasse non corporaliter, sed quia spiritum, idest animam, fecit ex nihilo. Et quod est amplius, videtur esse repugnans dictis Apostoli, qui I. ad Corinth. xv. 55. dicit: *Factus est primus homo Adam in animam viventem, novissimus Adam in spiritum vivificantem: sed non prius quod spirituale est, sed quod animalis.* Ubi expresse illam vitam animæ dicit esse aliam à vita que est per Spiritum Sanctum: unde illa inspiratio per quam dicitur homo factus in animam viventem, non potest de gratia Spiritus Sancti intelligi. Unde dicendum est, quod expositio Cyrilli non potest esse literalis, sed solum allegorica.

CAPUT XXVIII.

Quomodo intelligitur quod eum qui semel blasphemavit, impossibile est non blasphemare.

Item dubium potest esse de hoc quod Athanasius dicit in epistola ad Serapionem, quod Arianos qui non semel tantum, sed pluries blasphemarunt, impossibile est non blasphemare: quod videtur esse liberati arbitrii repugnans. Sed dicendum, quod impossibile hoc pro diffugili sumitur, que difficultas ex consuetudine provenit, sicut & Hier. xiii. 23. dicitur: *Si mutare potest Aethiops pellem suam, & pardus varietates suas, & vos poteritis bene facere, cum didiceritis malum.*

CAPUT XXIX.

Quomodo intelligitur quod dicitur, quod fides non sit prædicabilis.

Item dubium est quod Chrysostomus dicit in sermone de fide, quod fides est non prædicabilis. Sed intelligendum est, idest per prædicationem non perfecte explicabilis.

CAPUT XXX.

Quomodo intelligitur quod dicitur, quod fides non sit nobis ministrata per Angelos.

Item dubium est de hoc quod Athanasius dicit, quod fides nobis ministrata est non ab Angelis,

(1) Vulgata ad suam ipsorum perditionem.

neque à signis, & potentis; cum dicitur Hebr. 11. 4. quod fides annuntiata est *contestante Deo signis, & portentis.* Sed intelligendum est, quod fides nostra non habet auctoritatem neque ab Angelis, neque ab aliquibus miraculis factis, sed à revelatione patris per filium, & Spiritum Sanctum; licet etiam Angeli ea que sunt fidei nostre, revelaverint aliquibus ut Zacharia, & Maria; & etiam Joseph, & etiam ad fidei robur miracula plurima facta sint.

CAPUT XXXI.

Quomodo intelligitur quod dicitur littera mortalis etiam novi testamenti.

Item dubium esse videtur quod Athanasius dicit in epistola ad Serapionem: *Littera mortalis hæc est: Ab initio & ante sæcula creata sum &c.* & subjungit multa testimonia de veteri, & de novo testamento. Littera autem novæ legis non videtur esse littera mortis: sic enim non differret à littera veteris legis, de qua dicitur II. Cor. 111. 6. *quod littera occidit.* Sed dicendum, quod neque littera novi testamenti, neque veteris occidit nisi per occasionem. Sed occasionem mortis ex litteris accipiunt aliqui dupliciter. Uno modo inquantum ex littera sacra accipiunt occasionem erroris; & hoc commune est iam litteræ veteris testamenti, quam novi: unde & Petrus dicit II. canonice ult. 16. quod in epistolis Pauli sunt quedam difficilia intellecta, que indocti, & instabiles depravant, sicut & cæteras Scripturas. (1) *ad suam damnationem.* Alio modo inquantum ex præceptis in littera sacre Scripturæ contentis sumitur occasio male vivendi, dum per prohibitionem concupiscentia augetur, & gratia adjuvans non conferitur; & sic littera veteris testamenti dicitur mortalis, non autem littera novi.

CAPUT XXXII.

Quomodo intelligitur quod sola definitio Nicæni Concilii est unica, & vera possessio fidelium.

Item dubium est de hoc quod dicit Athanasius in eadem epistola, quod sola paterna definitio Nicæni Concilii, enuntiat a spiritu, & non littera, est unica, & vera possessio Orthodoxorum. Posset enim aliquis intelligere, quod definitio dicti Concilii, auctoritate præferatur litteræ veteris, vel novi testamenti; quod est omnino falsum. Intelligendum est autem, quod per dictum Concilium verus intellectus ex sacra Scriptura est acceptus, quem soli Catholici habent, licet littera sacre Scripturæ sit communis Catholicis, & Hæreticis, & Judæis.

His igitur expositis, ostendendum est quomodo ex auctoritatibus in prædicto libello contentis vera fides docetur, & contra errores defenditur.

Considerandum siquidem est, quod in hoc apparuit *filium Dei, ut dissolvantur opera diaboli*, ut dicitur I. Joann. 111. 8. unde & diabolus versa vice ad hoc rotum suum conatum apposuit, & apponit ut ea que sunt Christi, dissolvat. Quod quidem primo per tyrannos facere tentavit, Christi ministros corporaliter occidentes; sed postmodum per hæreticos, per quos spiritualiter plurimos interfecit. Unde si quis diligenter inspicat hæreticorum errores, ad hoc principaliter videntur tendere, ut Christi derogent dignitati. Derogavit namque Arius dignitati Christi, dum filium